



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Murenulæ Sacræ Vestis Sponsæ Regis Æterni  
Vermiculatæ Opus, De Privilegiis Ordinum Regularium**

**Alviset, Virginius**

**Campidonæ, 1673**

§. 2. De Acquisitione privil. per viam præscriptionis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62361](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62361)

horarum, posito quod prolatio vocalis, sit illarum essentia, de quo, suo loco ubi de horis.

## S. II.

De Acquisitione Privilegiorum per viam  
Præscriptionis.

## SUMMARIUM.

1. Privilegium adversatur præscriptioni fallit in quibusdam casibus 4. & 5.
2. Impetratio privilegii generat præsumptionem male fidei, in eo qui rem præscripsit.
3. Quod meum est, non potest iterum fieri meum.
6. Quid sit præscriptio.
7. Quicquid potest concedi, potest & præscribi.
8. Requisita ad præscriptionem, & seq.
9. Que sunt iurisdictionis, possunt præscribi, non que ordinis.
10. Potest præscribi libertas in his que secundum se non præscribuntur.
11. Præscriptio privilegii debet fieri secundum formam concessibilem.
12. Privilegium debet præscribi ab eo qui sit capax illius.
13. Ad præscribendum privilegium requiritur titulus.
14. Bona fides, causatur ex privilegio, & iure dubio.
15. Regularibus potest sufficere probabilis opinio, ad continuandum in usu alicuius iuris, vel privilegii.
16. Quantum temporis requiratur ad præscriptionem.
17. Ad præscribendum in præiudicium alterius, requiritur eius notitia, & patientia.
18. Præscriptio æquiparatur privilegio, iudicatis, & transactis.
19. Præscriptio facit in conscientia tutum.
20. Sufficit præscriptio, ad continuandum usum privilegii, etiam post errorem detectum.
21. Præscriptio non extenditur.
22. Qui præscripsit ius ferendi unam censuram, non potest ferre alias.
23. Qui præscripsit decimas, nõ potest petere novalia.

**N**ominè Privilegii (quod ad præsens institutum attinet) duo possumus intelligere, nempe aut concessionem ipsius facultatis, ad aliquid faciendum, vel ius ipsum faciendi concessum, quo secundo modo hîc de privilegiis agitur, quando dicuntur posse acquiri per præscriptionem. Nam in primo sensu, privilegium opponitur præscriptioni, tanquam quid contrarium, adeo ut simul haberi non possint, sed ad alterutrum ingressum, aliud excludatur, ut notat Gloss. *c. veniens de præscri.* Juxta quam Panor. ibi dicit, impetrationem privilegii, causare malam fidem, respectu juris, prius possessi per præscriptionem, tunc enim videtur impetrans agnoscere, se non habuisse jus, adeo ut si postea privilegium repudietur, nec etiam possit se præscriptione tueri, utpote quæ in illa impetratione censetur cessasse, & sublata esse. Quod verum est etiam in contrarium dicant Innoc. & Joann. Andr. in *c. cit. veniens*. Quia sola impetratio videtur sufficiens, ad inducendam præsumptionem renuntiationis. Quod enim meum est, non potest iterum fieri meum, ut notat Gloss. in *c. Abbate de verb. sign.* Sicque privilegium, & præscriptio, non possunt concurrere, respectu ejusdem juris quærendi, dico quærendi, nam si ageretur de jam qualito, & privilegium foret simpliciter confirmatorium juris, prius per præscriptionem quasiti, vel si concederetur ad cautelam vel in augmentum, per modum novi tituli, tunc bene possent se invicem compati. Et ita tenent Pan. Paris Imol. Felia. & communiter alii in *c. cit. veniens*. Quia licet jus jam quasitum non possit de novo quæri, potest tamen novo titulo retineri, ut docent Joan. Monarch. & Joan. Andr. *l. cum persona de privil. in 6.* Præscriptionem verò & præscribere ego hîc

hic appello, quando, bona fide, quis & probabili aliqua motus ratione, putans sibi, sua familia, aut societati, jus aliquod competere, & perseverans in ejusmodi bona fide ac credulitate, illo utitur. Postquam enim usus est per certum tempus, à legibus determinatum, censetur sibi acquisivisse jus illud, & extunc per ipsas leges, illi conceditur & fit proprium ita quod successivis temporibus possit perseverare in illius usu, ac si verè ab initio fuisset illi concessum, nec jam teneatur intermittere, quamvis fortè contingat detegi deceptionem, & cognoscat, se in rei veritate, non habuisse tale jus, nec ab initio potuisse illud usurpare.

7 Arque his hunc in modum præmissis, quando dicuntur privilegia acquiri præscriptione, ego sic explico, ut ea omnia jura, facultates, exemptiones &c. quas possit aliquis per privilegium, & gratiosam Superioris concessionem obtinere, has omnes possit per præscriptionem sibi acquirere secundum dicta, & infra dicenda Gloss. c. quia d. 64. Paul de Eleasar. c. nullus de elect. Panor. c. causam de præscr. Paris. c. auditis eod. Host. & alii passim per c. conquestus q. 3. c. veniens est c. olim. eod. c. duo simul de off. ord. c. cum dilectus de rel. dom. & cap. cum persone de pr. v. l. in 6.

8 Requisita verò, ad hoc ut præscriptione acquiratur aliquod privilegium, sunt, ut i. id quod præscribitur, sit sua natura tale, quod aliàs potuisset concedi. Et sic v. g. quia illa quæ sunt jurisdictionis Episcopalis, possunt concedi, non verò ea quæ sunt ordinis: ideo illa possunt præscribi, non autem ista, ut inter alios notat Panor. c. cum non liceat & c. cum ol. m. de præscr. Quamvis possit quis, in eis præscribere libertatem: ut non teneatur illa petere ab hoc vel illo, sed ab alio, vel à quo maluerit secundum eundem Panor.

c. venien. eod. Et quando non potest præscribi principale, nec accessorium, ex eodem c. cum ex Officii eod.

Requiritur secundo ad præscriptionem privilegii, ut illa fiat secundum formam concessibilem, id est, ut qui illud præscribit, seu illius usum eo modo illo utatur, & sub illa forma, sub qua aliàs solet concedi, aut potuisset. Ita Eleasar. c. nullus de elect. Et sic qui v. g. præscribit usum benedicendi ornamenta Ecclesie, visitandi aliquam Ecclesiam &c. debet benedicere, & visitare, non ad placitum, sed secundum formam in Pontificali expressam, quia sub illa forma expedienda, illi concederetur.

Requiritur tertio ut præscriptio fiat à persona secundum se capaci illius juris & privilegii, quod præscribit; & sic v. g. potest una Ecclesia vel persona Ecclesiastica præscribere decimas aut alia jura spiritualia, non autem Laicus, vel femina. Eleasar. loc. supra cit. Panormi. ad aures, de præscr. & passim alii.

Requiritur quarto titulus, seu verus, seu saltem coloratus, aut certè loco tituli possessio seu usus à tempore immemoriali, siquidem præscriptio est contra jus commune, secus si præter. Ita Panor. c. de quarta & c. ad aures de præscr. Sufficiens autem titulus, secundum ipsum erit, v. g. Opinio fundata in dicto viri alicujus gravis, aut fama, quamvis fortè nullū instrumentum reperiat, eo quod ex eadè fama dicitur tempore belli vel in incendio periisse per l. quod vulgo ff. pro emp. Et sic ut notat idem Panor. in c. cum dilectus de cons. & c. auditis de præscr. potest causari titulus seu bona fides, ex privilegio dubio. Et ut addit Paris. in c. auditis cit. possunt acquiri jura certa per privilegium incertum. Pro quo faciunt notata ibid. ab Host. domin. c. de decim. in 6. Barth. l. celsus ff. de usu cap. & Auffer.



frer. in tract. de pot. seculo in Eccl. fall. 12. Ubi ait Imol. & Zabari. ita etiam tenere. Quorum doctrina aptime valet pro defendendis pluribus usibus & privilegiis antiquiorum Monasteriorum, quae vix possent aliquo instrumento probari, sufficit enim, ad continuandum, in eorum usu communis opinio, & quasi traditio accepta à senioribus, quod tale jus habeant, quod recordentur, se vidisse aliquos ex suis antecessoribus, illo utentes, quod audiverint aliquem Abbatem commendatarium, vel ejus factores expilasse suum archivium, chartas transportasse &c. Tunc enim possunt, absque ullo animi scrupulo, retinere usum talium privilegiorum, modo aliud non obster.

16 Sed & 5. loco requiritur ad praescriptionem, lapsus temporis à jure praefixi, & ut privilegiatus, per illud totum usum sit suo privilegio, absque ulla contractione. Est autem tempus illud diversum, pro diversitate rerum & praescriptionum: Nam pro jure seu privilegio habente causam continuam, aut quali, quale est v.g. jus eligendi, percipiendi decimas &c. requiritur spatium 10. annorum inter praesentes. Et 20. inter absentes. l. 2. c. de servit. & l. fin. eod. de praes. longi temp. Respectu verò illorum, qui fuerint partim praesentes, & partim absentes, duplicatur illud tempus per auth. quod si quibusdam eod. Quod si tale aliquod jus queritur contra Ecclesiam requiritur lapsus 40. Annorum. c. de quarta. c. ad aures c. illud & c. quia de praes. Si contra Regulares, prout dicitur sectione tertia, ubi de bonis. Ad praescribendum verò jus quod non habet causam perpetuam, ut est servitus viae, praestationes extraordinariae, & ejusmodi. Requiritur tempus, cujus initii memoria non extet, secundum notat. à Gloss. & DD. c. contra morem. d. 100. c. quia cognovimus 10. q. 3. c. super quibusdam de verb. sign. l. 1. & 2. ff. de aqua plu. arc. & l. hoc

iure eod. de aqua quot. & est. Addunt Innoc. c. conquirente de off. ordin. c. bona de p. st. p. al. 17 & c. 2. de in int. rest. Felin. cap. de quarta de praes. & Panor. Et cap. placuit eod. Gloss. & Barth. l. 2. c. de servit. & aqua. Quod in praescribendis ejusmodi juribus privilegiatibus, requiritur scientia, & patientia, seu taciturnitas illius, contra quem praescribuntur, sin aliàs nunquam compleri praescriptionem, aut certe dari illi restitutionem in integrum.

Atque hunc in modum completa praescriptio, aequiparatur reali privilegio, & ut docet Barth. l. omnes. ff. de iust. & iur. ac. 19 censetur iudicatis & transactis, & hunc qui praescripsit facit tutum in conscientia, secundum Angel. v. praescriptio nu. 47. Rebuff. cap. postulasti de Cler. ex. nu. 299. Gloss. Host. Tancredi Vincent Joan. Andr. c. possessor. de reg. iur. in 6. Panor. Bald. Felin. Imol. Et alios c. vigilanti extra de praescript. Ubi Paris. ait esse communem. Ita quod possit se ex sola praescriptione tueri in usu sui privilegii (etiam Religiosi) & etiam si postea detegatur error, secundum quod in initio dixi.

Praescriptio tamen non potest extendi de casu ad casum (etiam similem) ut monet Panor. in cap. cum alim de praes. Unde ibi benè infert quod qui praescripsit v. g. potestatem excommunicandi, non potest virtute hujus juris suspendere, vel interdicere. Et similiter Gloss. in c. cum contingat 22 de for. comp. & de decim. ait hunc qui praescripsit decimas, non censerit praescripsisse 23 novalia, nec posse illa percipere, & sic de aliis.

### §. III.

De Acquisitione Privilegiorum per viam erroris, & deceptionis.

#### SUMMARIUM.

1. Quomodo intelligendum, per errorem acquiri Privilegia.

2. Et